



# Disputatio medica inauguralis de tabe

<https://hdl.handle.net/1874/341900>

6.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
*I N A U G U R A L I S,*  
DE

# T A B E.

*Q U A M,*  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,  
P R O G R A D U D O C T O R A T U S,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,*

*Eruditorum Examini subjicit  
S A M U E L S P E N C E R, Anglus.  
Ad diem 23. Aprilis horis locoque solitis.*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc lcc LXXXVIII.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N K O G L I C H A

D E

# ЕВАТ

М А К О  
Л А В Е Н Т Е Д О Т Е Р Б И Т М А Х

Д . Й О А Н Н И С Ф У Й Т С


П р и л о ж и я к Д а г о в и с , д и в и л о в и с П у т и в и с и т и ч е с к и м  
У т в е р ж д и я П р и с л о в и ю О д и н и ю

И з в е н и ю

П р и л о ж и я к Д а г о в и с , д и в и л о в и с П у т и в и с и т и ч е с к и м  
П р о с л о в и я к М е д и ц и н с к и м П р и л о ж и я м

П р о с л о в и я к М е д и ц и н с к и м П р и л о ж и я м

П р о с л о в и я к М е д и ц и н с к и м П р и л о ж и я м



Т Р А І Б Е Т І Я Р . Н . Н .

Ex Officina Fratris et Sororis Halimae Academicae  
Tabogisippi, apud Iosephum XXXVII.

D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

T A B E.

T H E S I S. I.



Orpora nostra syndrome malorum stipantur, quæ haud solummodo prænunciant nos dissolutionem subituros, verum enim vero vitam nostram insiduntur, ut hosti extremo tradant. Medicina exulta fuit ad mala hæc avertenda, & è corpore humano eradicanda: inter quæ non minimum & infrequens est Tabes, quæ plurimos vitam miseram degere cogit, & non raro penitus prosternit. Ideoque specimen profectus in hac arte exhibitus pro disputatione inaugurali, hunc hostem maxime noxiū debellandum suscepimus; itaque ad rem ipsam.

II. Phthisis ergo seu Tabes modo sumitur pro quacunque extenuatione totius corporis; quandoque pro atrophia ob pabuli defectum, vel innuit porro σύντηξις seu colloquationem, ut in febribus & Hecticis diuturnis; sœpe item μαρασμὸς seu immodicam totius ariditatem & consumptionem. Ultimo restringitur ad Phthisin pulmonarem vitio sc. pulmonis excitatam. Pro praesente vero Phthisis seu Tabes in genere est subjectum Theseos nostræ designatum, qnam quoad nomen definitus esse atrophiam indeque sequentem extenuationem corporis cum debilitate virium. Hujus rationem formalem, causas &c. investigando penitus mihi impositum absolvere conabor.

III. Interim haud abs re suspicor, in limine quædam annotare de nutritione in corpore rite disposito; Unde transituri facilius in dignotionem atrophie; deinde annumerabimus modos seu ἀριθμότοις ob quas actio nutritiva inhibetur; quibus breviter perpensis, cum adumbratione methodi curatoriaæ concludemus.

IV. Nutritio est reparatio dispendii, quod corpus constanti ritu subit, per victum debite præparatum: cum enim vita nostra in perenni sit fluxu,

A 2

ideo

ideo sicut vetera & effæta continue substrahuntur, & amendantur, nova addi & succedere debent. Partes fluidæ & mobiles huic vicissitudini subjiciuntur; sanguis sc. & humores inde geniti, particulæ volatiliores sponte sua avolant, unde ne crassiores restantes nimis præponderent, his quoque multiplices extant decessum & excretionum viæ: per quas velut totidem cribra partes inveterascentes congruo sibi modo relegantur.

Huic usui separationes in Renibus, glandulis cataneis inserviunt, item Hepate, Paucreate &c. ex his aliæ cum summo corporis levamine immedia te excernuntur, uti sunt fudor. & urina; aliæ in via morantur, ut ante decessum debitum hospiti solverent; quales sunt bilis, succus paucreaticus & lympha per glandulas faecium, Æsophagi, & intestinorum separata. His modis spiritus evanescunt, sanguis ex omni parte decrevit, & ni pabuli justo penu redintegratur, corpus cito corrueret.

V. Provide vero curatum est de sustentatione molis corporeæ per constitutionem partium cibi ingestioni, & concoctioni inservientium, dummodo ordinatum agunt:

Victu enim & potu corpus refici cuiquam appetet; attamen varias formationes subit priusquam perfecte elaboratus in nututionem facessit. Hujus principialis officina est ventriculus, ubi præparatur pabulum nostrum dum ingesta quævis per calorem humiditatem nec non motum levem ventriculi contenta commiscentem in minutias conterantur: ut par sit ad extra hendam tinturam in subsidium sanguinis post defæcationem immediate per vasa lactea convehendam. Hoc liquore sincere transmisso, spes spiritibus languentibus affulget; ante vero bonum inde speratum recipiunt requiriit ulterior elaboratio.

Huic operi incumbunt circulatio, & per varias augustias transcolatio. Motus enim sanguinis non tantum calorem & nutrimentum distribuit, verum etiam præparationi necessario consert. Chylus sanguini paulo ante Cordis ingressum quasi guttâtim instillatur qua notabili providentia provisum est, ut fiat æqualis & gradualis distributio; ne nimia copia materiæ effætæ, & quodam modo adhuc improportionatae obruatur sanguis; & machinæ præparantes suffocentur.

Eodem Cordis impulsu sanguini in ventriculis commiscetur, & cum eo in pulmones translatus, per ejus anfractus propellitur ad ulteriorem comminationem & cum sanguine commixtionem: deinde in sinistrum Cordis ventriculum reversus, conquassationem fortiorum adhuc subit, unde in arterias ejicitur: harum ope in partes universas & distantes convehendus, & ubi vis meatus tenues obvios invenit, quorum scrutinium ne guttula queat ante redditum eludere.

Hæc

Hęc cribra ex arteriarum & venarum ramificationibus in eximiam tenuitatem protractis contexuntur ut videre est in glandulosis substantiis totius corporis nec non hepate, liene, paucreat, Renibus &c. dum enim sanguis cum succo recenti per hęc trajicitur, inter sanguinem à tergo sequentem & vasa sensim augustata valde compressus est; particulæ quædam antea associatæ disjunguntur, quædam conformes in porulos in lateribus arteriolarum conniventes, ut chylus ex intestinis in vasa lactea, expressæ, à vasis sui generis recipiuntur.

Hinc Chylus sicuti lèvigatione subactus in minima reducitur, & requifitas configurationes acquirit, unde particulæ ejus inter fere vel cum sanguine tales combinationes ineunt, ut vicem partium continuo abscedentium suppleant, & indolem cruoris genuinam induant.

Ab hoc etiam opere haud excludendæ sunt fibræ membranosa & musculares, quas sanguis quoque pervadit, nec supponendum est fibras has & vascula velut canales mere passivas & inertes nihil huic conferre, è contra vero nervulorum participes, & spiritibus actuatos motu suo leviter contentum sanguinem comprimendo, pariterque progressum ejus promovendo, energias suas huic operi impendere.

His rite peractis partes deciduae renovantur, sanguis debitum tenorem conservat, & à combinationibus præternaturalibus vindicatur; hinc de novo invigoratus suppetias regimini animali clargitur: quasvis partes nectare alibili benigne irrigat, easque mole sua elevans, hinc corpus nutritri dicuntur.

Nutritio itaque est decrementis tantum sanguinis indeque sequens justa & ordinata corporeæ molis conservatio vel restitutio. Dum augmentatio proprie dicta est appositio & coalescentia particularum solidis partibus, unde secundum omnes dimensiones amplificantur; quæ adultis mimine competit.

VI. Hinc videatur Phthisin seu atrophiam esse solummodo ineptitudinem sanguinis vel partium succum alibilem rite preparare: Nihilominus requiritur ut descriptionem assumemus latiorem; quamvis enim hic modus sit unicus quo corpus contabescens restauretur: attamen hujus solo defectu in tabem non labitur; nonnunquam enim hac virtute sanguinis haud præfracta ob varias occasions corporis intabescientia inchoetur, licet perraro inde complementum sumpserit.

VII. Tabem idcirco describemus, quod sit penuria seu consumptio succi vitalis, cum extenuatione partium solidarum & debilitate virium. Causam proximam supponimus consumptionem succi vitalis qui sanguis.

guis est, huic enim indissolubili nexu valetudo nostra & essentia connectitur, secundum hujus fluxum & refluxum salutaris status assurgit & decrevit. Quis hujus dispendium patitur, & non advertit vires ejus prostratas, & corpus sensim tabificum? hinc propter inediā, labores dāros, catharsin fortiorēm, Hæmorrhagias vel alias quasvis supra modum evacuationes corpus labefactatur & gracilescit.

Experientia etiam comprobat evacuationem præternaturalem modo lentam sed continuatam corpus dissolvere, & ni tempestive remediis occludatur, tandem in tahem lethalem terminare.

VIII. Quoad rationem formalem hujus morbi consistit in inadæquata reparazione damni quod corpus constanti partium secessione patitur. Hoc fit, dum partes succedentes æquales numero non sunt decedentibus. Corpus naturali ordinatione partes quaslibet de die in diem amandat, quas cito sentimus amissas nisi aliæ vicissim succedunt. Quamvis enim corpus naturalem refectionem assumpserit, nihilominus dum evacuatio præternaturalis supervenit, res ad idem reddit; Eadem enim restat disproportionis inter partes recedentes easque quæ succedunt. Unde liquet tabem esse continuatum & profusum sanguinis dispendium, ultra quod victus codem tempore reparare valeat.

IX. Hinc autumo nullam urgere necessitatem, ut supponamus partes solidas sc. fibras musculares liquefieri, vel particulas quasvis ab iis abradi. Fibræ hæ sunt partes stabiles organice constructæ, & sine solutione continui ne particula avelli poterit: porro in Tabe minime abbreviantur, ast secundum crassitatem tantum contrahuntur, unde suspicio merito subeat ne canales adeo raræ & tenues in tanta colligatione exederentur. Sed non lubet de hac re item amplius movere; cum aliunde luculentius accommodemus: Quod fieri posse existimo per consumptionem liquorum corporis, & subsidentiam fibrarum inde sequentem.

X. Extenuatio & debilitas corporis hunc morbum necessario concomitant, unde Thesi nostræ fidem conciliare nitemur, explicando quo ritu hæc a penuria sanguinis oriri concipiamus. Suppono itaque carneas fibras tubulos esse teretes & oblongos, per quas sanguis singula circumgyratione trajicitur.

XI. Hi canaliculi in coporibus sanis constanti sanguinis affluxu elevantur, & turgescunt, & balsamico hoc liquore recreati, ope spirituum platicide se expandunt; ut sanguini ingressuro aditum patefaciant, denuoque mutua contractione, transeuntis cursum facilitent. Hinc quævis pars justas dimensiones obtinet, & compages proportionata & formosa evadit.

In

In tabidis vero hæc vascula haud debite impleta, subsidunt, unde corporis moles concidit. Sanguis enim copia diminutus & depauperatus minorem tantum portionem singulis partibus communicare valeat, ob inopiam continuitatem in rivo suo vix servat; particulis haud stricta acie consistens, vis ejus magis dispersa est, unde minus strenue circulatur, & in ductus exiliores ægre impellitur: his quoque addatur quandoque vitiola ipsius sanguinis qualitas cursui suo immediate obstante. Præterea propter languidam spirituum influentiam, canales hi sanguiferi minus actuati flaccescunt, & sanguinis ingressum impediunt potius quam promovent: hinc partes quæcunque nectare isto leni, uti debent minime irrigatae, exarescent, & induratae evadunt, uti cernitur in carnibus senescentibus & emaciatis.

Hinc ratio petatur cur membra paralytica emarcescunt, ob defectum spirituum, unde fibræ coarctantur & sanguis in circuitu suo præpeditur, a quo assolent distendi. Hinc ratio inæqualis nutritionis pateat, in pueris Rachitide laborantibus, cui adjungatur crassities quædam sanguinis.

XII. Tandem descendimus ad causas seu varias ~~ωροφάσεις~~ ob quas corpus diathesis talem ἀργότημα acquirit. Hæ considerentur 1. prout immediate & modo evidenti sanguinis quantitatem imminuunt; hoc faciunt pabuli requisiti præscissio, sive sit ante vel post sanguinis ingressum, vel Evacuationes immodicæ. 2. ut paulo remotius, veluti sanguis in crassi degenerans, vel visceris cujusdam depravatio insignis, quæ causæ mutuo sese inficiant. Piores sc. evacuationes in atrophia sanguine sæpe numero depravato superveniunt. Hæ contra mediantibus illis effectus suos plerumque & sanguinis consumptionem evidenter produnt. Has in quadruplicem hunc ordinem reducemus.

XIII. 1. Præcilio pabuli necessarii atrophiae causa immediata & evidens est. Sanguis nutrimenti debito pœnu defraudatur & corpus contabescit, non tantum dummodo propter appetitus languorem nimis parce intro recipitur, sed cum ob ventriculi tonum præfractum, & fermenti debilitatem, aut non rite digeritur, vel nimis festinanter denuo excernitur. Porro hisce non obstantibus quo minus sanguis refectionem ab ingestis capiat, attramen lactearum vel ductus thoracici coarctatio, vel obstrucțio, ob materiam iis impactam, vel ab tumorem visceris cujusdem externe comprimentem, succi alibilis derivationem efficaciter præscindit. Ut periculum fecit Doctiss. D. Lorverus erumpendo ductum canis thoracicum, qui, chylo in cavitatem thoracis exantlato tridui spatio moriebatur.

XIV. Chylus etiam post sanguinis ingressum per spiraculum quodnam præpropere substrahatur, & hoc modo opus nutritionis eluditur. Quam-

vis enim ductus excretorii bene muniti sunt, ne quid citra naturæ præscriptum exeat, ob impulsum tamen materiæ dilatentur, vel acredinem erodentur, ut plurima præter naturam excernuntur. Ita succus noster nutritius quandoque sibi proculit ductus, per quos singulis circuitibus ex currere potest; unde alimentum quasi vasi usque perforato infunderetur, sanguinem & corpus minime alit. Hoc modo chylus ipse per ulcera, pulmones & in diarrhæa sëpe relegatur. Ita proculdubio, quin in duobus observavi maximam hujus partem quotidie præcipue mane pertussim excretam; ubi libræ duæ vel tres Phlegmatis crassi & albidi diei spatio constanter rejectæ sunt, subsequentे insigni corporis emaciatione. Porro quendam novi, qui urinam albidad reddebat, ut quodlibet asperfa dealbaret, velut solutione calcis tingeretur; exin carnes absumi, & vires prosterni adeo palam fuit, ut ipse ægrotans totum mali in hoc solum retulerit, qui tandem tabidus obiit. Hinc quoque animalia scemina dum lactescunt raro pinguefiunt.

XV. 2. Evacuationes morbosæ sanguinem absument, & corpus debilitant, propter quantitatem materiæ excretæ, cui etiam adjungi concipiamus in exitiali atrophia chyli ipsius excretionem. Evacuationum numerus est quaternarius.

XVI. 1. Diarrhæa liquorem vitalem absimit, & corpus enervat, qua non datur evidentior tabis causa. Quot enim corpore emaciato & viribus attritis succubuerunt, cuius nulla ratio apparebat, præter alvi fluxum licet moderatum, diu tamen neglectum, donec altiores radices egerat, quam vi aut consilio erui potuerint. Cui substerni sanguinem virtutum merito suspicemur; dum crosis ejus soluta propter fluores asam præbuit huic evacuationi, vel aliter depravata succum nutritium pervertit, & cum eo unionem renuens, excerni inique exponit.

XVII. 2. Paritas rationis æque valet, quare sudores immodi & assidui sëpe absque alio morbo evidenti, corpus supra modum debilitant; hæc evacuatio naturalis, licet cum tanto nobis emolumento eveniat, ut minimum gradum, citra illud quod commodum est periculose sentimus, tamen ultra hoc subsistere nequit absque magno corporis incommodo. Sæpe in scorbuticis, post febres diurnas, erumpit, & in tabem tendit: ut Willisius observat in Adoloscente, qui a febre quartana convalescens, in sudores profusos quotidie deliquescebat; propter hanc, adeo contabuit caro, & vires exhaustæ fuerunt, ut fere in sceleti marcorem redigeretur.

XVIII. 3. Ulcera externa immodicam purulentæ materiæ quantitatem profundentia liquorem vitalem absument, & vires tractu temporis exhaustiunt.

riunt. Hinc ulcera cancrosa & strumosa, aut alias cacoethæa in atrophiam lethalem desinunt. Insuper præter rationes jam diætas hæc pensitanda se offert, quod sanguis inter transeundum miasmate in congruo, ex putri materia in partibus ulceratis aggesta inquinetur, proindeque ad nutritionis munus obeundem prorsus inhabilis redditur.

XIX. 4. Seminis prodiga dispendia quoconque modo eveniunt contabescientiam inducunt, hinc plus testibus elargitur, quam illis destinatur, reliqua partes debito tributo defraudantur, & functiones vacillant, sanguis admodum depauperatus & spiritibus spoliatus muneri suo haud sufficit, unde vires necessario collabuntur.

Porro quandoque excretio ichoris seu putrilaginis ex partibus genitalibus corpus enervat; partes amandantes in viris reputantur prostatæ, in foeminis glandulae circa uterum consitæ, hunc effluxum diminutio totius, languores & emarcescentia succedunt; ut constat in Gonorrhæa & fluore mulierum albo.

Hic sermo habeatur de Tabe dorsali, quæ sæpenumero talem seminis effluxum causam sibi agnoscit, & hæc immediate dependet a penuria spirituum; & oriatur nonnunquam ab obstructione medullæ spinalis; unde debilitas præcipue sentitur in spina dorsi circa lumbos, & partibus inferioribus, quæ vires & spiritus hinc deducunt.

XX. 3. Visceris cujusdam principalis indispositio & depravatio sæpe tabem inducit. Hinc a tumoribus in concoctionis visceribus, abscessu aut ulcere; vel ab intestini cujusdam, aut etiam Renis, Uteri, aut Vesice ulcere vel humore cancroso, aut alias cacoetheatrophiam lethalem successisse accidit: quæ aut profusa evacuatione, vel labem sanguini affligendo, liquorem nostrum vitalem disperdunt, crasim evertunt, & nutritionem inhibent.

Hujusmodi est mala pulmonum conformatio, quæ uti nimis frequens, ita hujus morbi maxime certa & pertinax causa existit: ut vulgo censemur nullum ex Tabes sine pulmonis labo interire.

Hoc malum non tantum ulcus, verum tubercula, aut lapides, aut materia fabulosa iis impacta inferant. Hoc viscus a qualibet actionem suam inhibente offensam cito capit, & in nixus sollicitos lacefitur ad molestum quid excutiendum: hinc excitatur tussis, quæ molestantis cujusdam index est, & Phthiseos sæpe procemium. Compressio aut vellicatio ductuum trachealium, aut vesicularum aerearum in motus hos spasmodicos pulmones incitat. Occasio autem sæpiissime est nimis copiosa seri qualitate vel quantitate peccantis, e lateribus, horum ductuum & vesicularum exudatio, quod in

OR DISPUTATIO MEDICA.

ipsorum cavitates decidens, affectum catarri nomine vulgo insignitum, producit; cuius diluvio vel acrimonia pulmones quasi inundati & valde irritati in tussim & expuitionem fere continuam centur; qui pulmonibus originaliter vel morbo debilitatis superveniens exulcerationem & Phthisin minatur.

Hæ malæ pulmonum diatheses cum tussi atrophiam universalem inducunt, motum sanguinis perturbando, & libero aëris commeatu præscisso, crasim ejus evertant. Porro furor spirituum ita sæpenumero evexitur, ut præ tussi urgente, somnum capessere nequeamus, appetitus dejicitur, & ventriculus infesta vix retineat, unde evidenti quasi modo in tabem conjicimur: ad hæc præter evacuationem immodicam per expuitionem, completioni Tabis advenit ab exulceratis tabi impuri communicatio, quo sanguis inquinatus in varias perturbationes adigitur, unde oriuntur succi nutritii disperditio, sitis & æstus, sanguinis liquefactions, & consequenter totius intabescencia.

XXI. 4. Sanguis ipse ab indole genuina descissens Atrophiæ sæpe causa principalis existit. Tabes a tali prophasi dependens, modo viscera sarta tecta sunt, apud Authores sub nomine febris Hecticæ venit, de quo symptomate postea, sanguis ex se ἀτροφίᾳ evadit ab triplicem dyscrasiam.

XXII. 1. Dum acredinem & nimium fervorem acquirit; unde mitescentem & balsamicam dispositionem deponens, vultum induit austерum & cholericum. Hæc constitutio muneri nutritivo summe inimica est. Propter hanc in se deprædatur, & nativam ejus crasim exedit, spiritus præbet servidos: qui anomalies in nervoso genere sæpe excitant, & fibras in actione sua præcipitant. In hoc casu sanguis nimium tenuis, & in vapores resolubilis, plus quam cum ἀθροΐᾳ tolerari potest, exhalat, præterea succus nutritius in taliter affectis ob fermenti stomachalis acredinem bilescit, adeoque qualitates sanguini conformes suscipiens, dum ei admiscetur, haud uti debet servores ejus demulcat, nec in nutritionem laudabilem facessit, verum partibus morbosis se associans ulterius pervertitur, & celerrime evaporare cogitur. Huc plurimum faciunt in excitando hunc statum morbosum & fomentando ingesta quævis calida & acria, uti vietus ex salitis & piperatis, ingestio liquorum ardentium. Talis temperies quibusdam connaturalis est, qui quamvis raro ad mortem usque intabescunt, attamen toto vitæ cursu Tabe teneri videntur, & plerumque citius consenescunt; huic obnoxii sanguinem habent supra modum calidum & effervescentem, vasa ampla, & crux distenta, licet carnes emarcidæ sint & induratae.

Hinc Incolæ regionum Austrinarum raro pingueſcunt. Post febres ardentes

dentes talis constitutio remaneat, quorum terminum corporis atrophia non raro excipit; spiritibus enim deperditis & fugatis, partes residuae præ calore adustæ, migrant in feroce & asperas; unde nutritio inhibetur, fibræ & filamenta calore prægresso arefactæ, & induratae, irrigatione hujus liquoris minime recreantur aut relaxantur.

XXIII. 3. Dum sanguis visciditatem acquirit, atrophiae parens existat: incrassari videtur ob compagem ejus strictiorem, quæ accersitur mutua complicatione particularum quarumlibet sanguinis: hæc dependet a materia viscosa, quæ per totam massam sanguinis dispersa, & partibus quibusvis adaptata, communi quasi vinculo universas strictem devincit; Quæ ita concatenatæ liquorem exhibit crassum sed æquabiliter mixtum, & tenacem, cuius partes ægre ab invicem secedunt. Ut glutinantia liquori partibus heterogeneis constanti immixta, subsidentiam & separationes prohibent & mixturam æquabilem reddunt.

Ob tenacitatem sanguis Chylum sibi admisceri & intime uniri renuens, velut heterogeneum secum asportat, quod in variis partibus e gremio suo facile deponit. Ob Crassitatem vasa haud rite subit, nec separationes rite succedunt. Hinc ventriculus lympha ejus necessaria haud æque perfunditur, unde quidam hoc morbo laborantes siti premuntur, & liquida facile ingerunt, dum solida quævis fastidiunt, aut ingesta ægre digerunt. Ob parem rationem in tractus exiliores vix admissionem obtinet, unde fibræ prius a cruro dissipatae & elevatae concidunt, & contrahuntur, & moles corporis indies decrevit; ad hæc tenuiores particulæ in tenaci materia involutæ & quasi concatenatæ vix elicuntur; unde œconomia animalis debito penu defraudatur, spiritus torpidi fiunt, fibræ spiritibus minus irradiaæ canales inertes fiunt, subsidunt, & angustantur; hinc taliter affecti debiles sunt, & in somnum proclives. Horum confirmatio habeatura Diabetis natura & symptomatis; ubi sanguis ob immodicam liquidum profusionem necessario in crassamentum facessit; hunc morbum comitantur pulsus celer & laboriosus, sitis immanis, & totalis emarcescentia. Duos quoque novi atrophia consumptos, qui sine evacuatione notabili vel calore insigni, cito elauguecebant, carnes absumentebant, & spiritus mire torpidi: nihil interim cibi appetebant, liquida vero sufferre potuerunt, verum alter solidum quid ingestum, semper rejiciebat inconcoctum; alter quamvis sape non rejecerit, attamen quasi onus in abdomine suspensum diu & cum molestia gravitabat, in utrisque sanguis, ut per Phlebotomiam occasionaliter celebratam constabat, licet floridus, & æquabilis consistentiæ, tenax tamen, viscidus & seri omnino expersuit.

## DISPUTATIO MEDICA

XXIV. 3. Dum sanguis acidus & depauperatus existit, s<sup>e</sup>pe tabis causa est. Liquor vitalis ex spirituoso & dulcescente, aliquando in stigma acidum degenerat, quæ defectio œconomiae corporis prouersus aduersatur: spiritibus enim, Archeo isto magno, qui jure naturali hujus œconomiae regimini præsit, profligatis vel subjugatis, & acidis in dominium evectis, fundamenta constitutionis eruuntur. Hinc compages nimis laxata, debitum tenorem nequit conservare; nexus, quo partes secundum statos ordinis invicem cohærent, soluto, quælibet sui juris existens in varias partes distrahitur. Particulae crassiores acido coagulatae præcipitantur, liquidæ diffluunt, & utræque a se invicem secedunt. Ex hac radice pullulant variæ fructus morbidi; prout a gradu defectio[n]is vel a qualitate sanguinis peculiari, vel textura organi cuiusdam determinationem suscipit. Sanguis hoc modo effætus & crassi debilitatus fluores facile patitur; Particulae a sanguine circulante in locis variis relinquuntur; hinc eveniunt evacuationes debilitantes: quales sunt diarrhœa, sudores, &c.

Hanc dyscrasiam inducit quodcunque spiritus deprimit, & sanguinis crasis relaxat. Huc conductus tonus ventriculi præfractus, debilisque concoctio, unde chylus haud rite exaltatus acescit, & cruorem minime invigorat. Hæc sanguinis & ventriculi depravatio mutuo se excipiunt, & in defectione sua stabilunt.

In hunc modum sanguinis crasis pervertunt, evacuationes violentæ, Hæmoverhagiæ, febres diuturnæ præcipue quartana diu protracta.

XXV. Quod ad differentias Tabis pertinet, desumuntur a causis ejus antecedentibus; secundum enim causam continentem unica tantum est affectione. Tabes oritur vel ab obſtructione primarum viarum, ut in cæliaca affectione, vel a vitio visceris, uti pulmonis, quæ Phthisis pulmonaris nominatur, vel a sanguinis vitio, quæ apud Authores speciatim venit sub nomine febris Hæticæ, & a triplici dyscrasia dependet, sc. vel acri & fervida, vel viscida & nimis compacta vel acida & effæta. Harum notæ, & de-nudatio diagnosin hujus morbi instituunt.

XXVI. Tabes per extenuationem & debilitatem corporis sat dignoscitur; de causa vero haud semper æque constat. An vasa lactea obstruantur cognoscet ex dejectionibus albidis & copiosis, quæ sunt instar lactis coagulati, & non, uti aliorum excrements, biletinctæ & fœtidæ; prout haec obſtructio invaluit, contabescientia pari passu incedit. Si viscus quodnam depravatum sit, ex signis frequenter sensui evidenter apparet, uti pulmonis per tussim & expuſionem; hepatis vel lienis per dolorem & tumorem, qui sunt per se morbi velut cause atrophiarum substrati, quorum examen per diagnosin

diagnosin iis appropriatam instituendum, quod abs re esset hoc loci inserere. Si sanguinis solo vitio oriatur, febricula plerumque observatur; si a fervida intemperie dependeat, calor est intensior, urinæ coloratores, evacuatio-nes haud adeo evidentes; si a tenaci & viscida diathesi pulsus celer & labo-riosus, sed calor debilior, adeo in somnum proclivitas & spirituum quasi subsidentia; interim evacuationes vix conspicuæ sunt, appetitus dejicitur, Urinæ bonæ consistentiæ, & sanorum haud absimiles. Si ab acida, pul-sus creber sed languidus, calor debilis, nisi a pastu supra modum intendun-tur; Evacuationes saepè copiose, appetitus interim vegetior est sed mala sequitur digestio; urinæ pallidæ & inconcoctæ apparent.

XXVII. Quoad Prognosin omnis Tabes periculosa, eoque periculosior quo causa magis radicata est, in principio igitur si advertatur facile ple-rumque curetur, nisi visceris mala conformatio ægre corrigenda renitet, unde Phthisis pulmonaris hereditaria periculosissima. Hæctica in principio saepissime feliciter curatur, postea vero difficillime.

XXVIII. Huc hactenus, priusquam vero transeamus ad curationem pau-lo sistamus examinando symptoma quoddam sc. febriculam quæ plerumque comitatur atrophiam & Hæctica dicitur. Hic calor humidum corporis ab-sumens reputatur causa esse Tabis immediata, etiamdum symptomatica sit. Ubicunque vero inventur cum corporis extenuatione, sine visceris nota-bili læsione, vel morbo acuto, non rantum causam proximam, sed mor-bum ipsum idiopathicum statuunt.

Forsitan hæc notio aliquatenus admittatur in Phthisi ob acrem & fervidam sanguinis temperiem: veruntamen quod calor hic symptomaticus semper sit causa disperditionis succi vitalis, vel adeo notabilis, dum tabes a sola san-guinis dyscrasia dependet, ut morbus ab ea denominationem sortiretur, plurima assensum inhibent. Calor enim a labe visceris puta pulmonum ul-cere excitatus intensior est quam vera Hæctica. Ipsi quoque agnoscunt dari Hæticam sine Tabe, porro plerique morbi chronicæ febriculam adjunctam habent, quæ nihilominus febris hæctica haud nuncupatur.

Hoc symptoma itaque describamus quod sit perturbatio & motus sanguini-nis citior atrophiam saepissime concomitans, cum calore nonnunquam & ariditate sensibili, qui intenduntur post pastum.

XXIX. Proculdubio ortum dicit a causis Phthiseos supra memoratis & quælibet ad productionem hujus diversimode confert.

Licet hæc materia tota in tenebris versetur, suspiciones quasdam propo-nam, quibus aggredior dilucidare quo ritu hoc symptoma suscitetur. Sup-pono itaque.

## 14 D I S P U T A T I O M E D I C A

1. *A*ggr*at* spirituum motum sanguinis æquabilem interpellare, & citiorem introducere, necnon maximam perturbationem. Hoc manifestat subita passionum excitatio, quæ pulsus adeo immutat. Ita irritatio fibricularum in quavis parte ab impulsu materiæ improportionatae, mediantebus spiritibus, sanguinis motum perturbat & accelerat: hinc molesta sensatio febrem symptomaticam concitat. In hunc modum Ventriculus offendens capiens, huic perurbationi ausam præbeat. In Hecticis dari sepe talem spirituum provocationem dubitare nequimus; præcipue dum viscus aliquod depravatum est, & Ventriculus raro immunis perstat.

2. Sanguinis penuriam, & diathesin effectam hunc effectum producere posse; dum spiritibus deficientibus ægre circumgyratur, & ob segnitiem suam haud alacriter vasa præcipue minora pertransit; unde pulsus crebrius iterantur, ut frequentia pro motus languore compenset, & circulatio perennetur. Hinc Hydropici & Chlorosi affectæ, &c. & quocunque modo debilitati ut plurimum pulsus habent celerem. Pariter dum sanguis crassificat cor & pulmones in motus rapidiores urguntur, ut crux a coagulacione continuari possit, uti observatur in Diabete, ubi febris lenta & quasi hectica semper adest.

3. Obstructiones febricitationem concitare, sanguis enim in cursu præpeditus, & intra limites arctiores contentus tumultuat, & quaque vicem citius circumrotatur: tales dantur in viscida sanguinis constitutione. Præterea ob glaudulas obstructas partes secerni solitæ, in massam regurgitantes, perturbationes creant. Ita in puerperis lactis tendentia, quam pro tempore obtinuit, abrupta, & *pon* facta ad mammae, febrem lacteam dictam inducit.

4. Miscela materiæ putridæ & heterogeneæ sanguinis motum perturbat. Hinc exulceratio partis cuiusdam particulas acriores vel suo modo degeneres sanguini communicando ordinatum ejus circuitum interrupit. Porro in glandulis obstructis materia stagnans ibique corrupta easdem crux inordinaciones inferat.

Hæ sunt rationes præcipuae, quæ seorsim vel simul juncte perturbationem hanc concident, quibus forsitan aliæ accenseantur.

XXX. His positis quoad constantem & quasi habitualem calorem, pauca dicemus de caloris intentione, quam Tabifaci post pastum velut paroxysmos experiuntur.

Hos deberi existimo & debilitati Ventriculi, & dyscrasias sanguinis superveniente cibo & succo nutritio. Fibre Ventriculi tenerioris sunt texturæ, & levi quavis occasione in spasmos adiguntur, qui systemati nervoso communicati, cito per totum diffunduntur, uti evincitur per symptomata  
velut

velut mortis prænuncia, quæ frequenter adsunt dum hoc viscus solum aggravatur. Hinc ob malam digestionem hæ perturbationes concitentur; & fœminæ quædam teneriores & Cachecticæ sine Tabe ob ventriculi *αγνίαν* calore & febricula velut hec̄t̄ica a prandio diu vexantur.

XXXI. Ultimum nunc stadium ingredimur sc. curationem, cuius methodum tantum adumbrabimus. Itaque in hoc affectu sicut in plerisque aliis tres erunt Primariae Indicationes Therapeuticæ viz. Curatoria, Preservatoria, & vitalis. Harum prima morbum respiciens & intabescentiam cohibere nitens, absque secunda, quæ in morbi causam collimat, peragi nequit. Quapropter circa morbi hujus Therapeiam præcipuæ medendi intentiones erunt. 1. ut bona sanguificatione restituatur; 2. ut decessus partium præcaveatur. 3. ut penus sufficiens succi laudabilis suppeditetur. His subordinantur aliae, a causis hujus morbi respectivis desumptæ, quæ considerandæ veniunt, dum Medicus circa curationem in particulari versatur.

XXXII. 1. Intentio prima est, ut per bonam sanguificationem nutritio restituatur: hæc sanguinis labem respicit; quæ vel a parte quadam ulcere tentata vel alias depravata mutuatur, vel ex se oritur. Si pars aliqua ita deficiat, ut sanguinem coquinet, cum constet de morbi natura, remedia primario & sedulo in hanc collimanda: dum enim fomes hic remaneat, quotiescumque effectus supprimas usque recrudescent.

Si Pulmo tuberculis aut quibusvis concretionibus, vel quod frequentius ulcere tentetur, & corpus in atrophiam conjiciat. Pars longe potior curationis reductioni hujus visceris impenditur. Varia generali tabis naturæ adaptata huc commode transferantur, præcipue quæ diætam spectant. Intentiones vero primariae respiciunt pulmones affectos, in quorum sublevamen multiplex existit medicaminum apparatus, quibus satisfaciamus varias indicationes a natura morbi & symptomatam desumptos, quorum plenorem tractationem, rationes & formulas præscriptionum indagando, à proposito proslus alienam esse duco, & quidem superfluam dum apud omnes feci. Authores prostant, & nonnulli de hac re egregie scripserunt.

XXXIII. Vel sanguis ex se hanc diathesin *ατροφίαν* contrahit: hujus semotio omnimode tentanda secundum triplicem diärasiam, qua sanguis in hac re sæpe peccat. In hunc finem varia ubivis comparentur, quæ inventiantur sub titulo febris Hecticæ; utilia quidem ex iis feligentur, & usui licet cum longe diversa intentione adaptentur. Horum Authores primario attenderunt caloris extinctioni, & corporis humectationi, quas per refrigerantia & humectantia sæpiissime irrito conatu moliebantur.

Nos vero remedia collinamus in sanguinis malam diathesin secundum ejus acridinem, visciditatem & acorem.

Medica-

Medicamenta secundum operationes suas, quibus corpus Tabe affectum sublevant considerentur vel.

1. Ut sanguinem fundunt, coagulationes dissolvunt, noxia segregant & præcipitant; uti sunt decocta ex radicibus Chærefolii, Filicis, Taraxaci, Eryngii &c. cum Antiscorbuticis admixtis; Item aquæ destillatae ex lacte & limacibus, & antiscorbuticis: potentissime vero hæc perficiunt salia nitrofa, ut sal prunellæ, aliaque ejusdem farinæ; Item salia volatiliæ, præcipue spiritus inde eliciti. Hinc mutatio aëris, præcipue translatio corporis tabifici in nativum solum in casu deplorato sæpe juvat.

2. Vel ut materiam peccantem alterant, hinc præcedentibus adjungantur salia alchalisata, uti testacea omnia; necnon lacteata, ut lac asinimum, & vaccinum: Chalybeata, & Acidulae minerales.

3. Vel ut materiae hujus evacuationi conducunt, & ita sanguinis purificationem promovent: hæc optime perficitur per diuresin vel diaphoresin; hoc conferunt decocta, aquæ, spiritus volatiles omniaque prius nominata, quæ non tantum separationes promovent, sed ad vias excretorias leniter deducunt, ut etiam liber pateat exitus, frictiones & balneationes ex aqua & lacte instituendæ sunt & sæpenumero ad miraculum usque successerunt. Hæ administrationes poros aperiunt, ut sanguis per eos fæse repurgat; porro calor mitis & humidus undique circumstans fibras contractas irrigat & relaxat, & spiritus in iis fere extictos suscitat. Propter hanc rationem migratio in aerem calidiorem puta ex Anglia in Galliam, remedii cuiusque generis frustra tentatis, curationem efficit.

4. Vel ut spiritus depresso erigant, & dissolutiones fistunt, hoc spiritus volatiles & Chalybs apprime conducunt, & palnam ab aliis merito præripiunt. Illi immediate cruorem de novo invigorant; Hic tonum ventriculi & sanguinis crasin stabiliit, ut nutrimentum rectius præparetur, & præcavet, ne nimis prompte iterum diffuat.

Quoad præscriptionum formulas nec occasio, nec ratio instituti admittit, ut ulterius descenderem, præcipue cum sæpe tanta sit causarum & indicationum complicatio, ut unica compositio cum maxima licet prudentia constructa, singulis haud conveniat. Ex materia vero positâ pro re nata facilime plures componantur. Cum vero delectus hujus sit, respectu in temperiei diversæ sanguinis morbosæ, breviter annotabimus quænam cuilibet primario conveniat.

In constitutione sanguinis fervida ex his temperiora requiruntur; inter quæ Emulsiones & attemperantia locum habent. Nonnulli spiritus volatiles æstimant, remedium esse primæ notæ in tæbe quacunque præcipue spiritum

spiritum sanguinis humani, cui Insignissimus Boyleus admirandas virtutes tribuit, in Hectica & ipsa Pulmonum Phthisi.

Si Tabes à sanguinis crassitie dependeat, salia volatilia facile locum pri-mario obtinent; quæ lentorem ejus potenter rescindunt, & coagulationes dissolvunt; dein decocta, salia & similia sanguinem fundentia locum habent si ab aciditate & sanguinis paupertate procedat, quæ eum exaltent, & ad debitum tenorem & consistentiam reducant, postulantur. His apte re-spondent Chalybeata, quæ ventriculum corroborant, acidum infringunt, crasim sanguinis laxiorem restituant. Unde fluores præcaventur, & deces-sus partium debilitantes fistuntur. Posthæc volatilia, cæteraque in suo or-dine usum suum obtinent.

XXXIV. Intentio secunda est ut decessus partium fistatur, ad quem mo-liendum curetur ne sanguis partes suas adeo copiose ableget; dein ut orga-na excernentia ad debitum tenorem reducentur. Posterior prioris med-icam prærequisit, vel simul curanda secundum varios excretionum modos.

XXXV. 1. Diarrhæa vulgo fistatur per adstringentia & opia, dum ve-ro causa in sanguinis dyscrasia consistit, nec vi vel blandamentis narcotico-rum cohiberi queat, & licet fortiori iest subito prosteruatur, vires tamen recolligit, & solitam tyrannidem exercet, nisi aliud remedii genus, quod causam profundius latentem eradicet intercaletur: quale sunt Antiscorbuti-ca temperata, acidum infringentia, & quæ tonum sanguinis laxiorem con-firman; de quibus ante. Crocus martis adstringens utrasque intentiones respicit, & præ omnibus merito prædicatur. Purgatio ex Rhabarbaro, viribus consideratis instituatur. Remedia modice adstringentia & opia caute & tempestive adhibita sèpius prosunt.

XXXVI. 2. In hunc modum sudor tractandus, dum causa Phthiseos existit vel ad eam tendit, respectu ad sanguinem semper habito, antequam pororum occlusio moliatur. Ut sèpe vidi tales affectum post sanguinis emendationem, velut arborem radicibus avulsum emarcessere. In hac repræ-sto sunt chalybeata, quæ crasim ejus stabiliunt & dissolutiones inhibitent. Item medicamenta sale volatili, nitroso & alchalinato prædicta sèpius juvant. Qui-dam attendunt coarctationem pororum perinunctiones & balneationes refri-gerantes, quæ suum locum habeant, dum vero sanguis dyscrasia ατρόφιμω laboret, nec tuto nec prospere succedunt.

XXXVII. 3. Ulcera externa vires exhaustiunt, hæc quamprimum itaque occludenda: hic externa & interna conducunt. Illa ad Chirurgiam pertinent; Hæc sanguinis liquationes prohibent, humiditates divertunt, & ad sarcosin disponunt, hic faciunt traumatica, aliaque prius nominata. Idem dictum sit de Gonorrhæa & expunctione copiosa, quæ causis Phthiseos annumerantur, designatio vero hujus Theseos haud exiget, ut amplius prosequeremur.

XXXVIII. Intentio tertia est ut succi laudabilis penus sufficiens continuo apponatur: Hujus totum ex hauriunt recta cibi præparatio & libera in sanguinem transmissio. Hinc ventriculi tonus corroborandus, fermentum invigorandum, cibus facilis coctionis ingerendus. Dein vas a Chylifera aperta serventur, vel obturata aperienda, ut liber Chylo patesiat aditus. In hoc casu acidulæ imprimis convenient, item deobstruentibus intus exhibitis, limenti menta fatus & balnea exterius usurpentur.

XXXIX. Indicatio vitalis regerit diætam, curat de sustentatione virium & symptomata urgentia regulat. Quoad diætam, cibus debet esse simplicissimus, & facilis coctionis: hinc lac asinum & diæta prorsus lactea optimo successu in atrophia sæpe præscribitur. Item Juscula Limacum, aquæ Hordei. Gelatina ex Rasura Eboris Corn. cervi, Pane albo & Hordeo confecta, cui adjiciatur Cor.C.C.& Cinnamomum. Hæc præbent succum mitem & blandum, qui plus reficit corpus tabificum, quam carnes vel ex iis confecta, ut sunt Juscula consummata uti vocantur in curatione Tabis adeo decantata. Hæc præterea remedium cedunt, sanguinem diluendo, & partes mitioris naturæ subministrando, ut massam ejus non unquam immutant & renovant. Si diæta lactea minime convenient, omnibus enim haud æque arridet, cibis sit boni succi, carnes teneriores semel in die indulgentur, sive juscula ex iis, item ova sorbillia, interim potus sit omnino medicatus, sit decoctum ex sarsa china, Ras. Eboris. C.C. fantalis, sassaphr. hordeo passulis & his similibus, Carnes salitæ vel fumo induratæ procul habeantur.

Ad Vires sublevandas Cordialia exigentur, quæ comparentur ex aquis appropriatis; In hunc finem quoque margaritæ, lapides pretiosi, & Bezoartica necnon spiritus volatiles adhibeantur; huc præcipue confert haustus Vini Generosi & malagensis. Quoad symptomata sunt morbi effectus, quo sublato, & hæc concidunt, dum vero vehementer urgent, consideranda veniunt, licet extra intentiones propositas medendi cadunt, ne dum fontem suppressimere nitemur, vita ipsa ab exorbitantiis rivulorum opprimatur.

Hæc symptomata præcipua sint appetitus prorsus dejectus, Diarrhæa, & in quibusdam vigilia, ad appetitum excitandum digestiva & stomachica adhibenda, quæ fermentum aliquo modo restituant; curetur ut Diarrhæa intra limites coerceatur, & somnus procurandus, & quælibet perturbationes somnum arcentes sedentur; in utrisque casibus opiate locum habent, & dum cum judicio propinantr maximi usus sunt; his enim decessus partium immodici sistuntur, & perturbationes comprimuntur; unde induciis quasi concessis, occasio datur concilium ineundi, pariterque exequendi, ut rebellis hi & vitam periclitantes, radicitus extirpentur. Sic dixi haud quod amplitudo subjecti requirit, sed quod augosti disputationis limites permitterent. Siquis lubeat mendas meas corrigere, & quæ desiderantur subnectere, grata labores suos expendat.

F I N I S.